



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Schismaticis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

perpetuum ablegantur, vel muro, pœnitentiam erroris acturi, includuntur. *c. excommunicamus. 2. §. fin. ubi Gloss. & Abb. hic.*

Quæ pœna hodie, arbitrio Judicentis, si ei visum fuerit, in aliam mitiorem mutari potest. *c. ut commissi. hic. in 6. d. c. excommunicamus. §. 2. ubi Abb.*

De Schismaticis.

T I T. VIII.

Sequitur de Schismaticis; quia omnis hæreticus est Schismaticus: sed non omnis Schismaticus hæreticus. *c. inter hæresim. 24. qu. 3.*

Schismatici (à schismate, id est, scissura, dicti. *c. 34. schisma. 24. qu. 1.*) sunt qui se ab universali Ecclesia per inobedientiam dividerunt. *d. c. 14. schisma. d. c. inter hæresim.*

Dico *ab universali Ecclesia*. Nam, qui à dogmate, contrarium Ecclesiæ tenendo recedunt, hæretici sunt; schismatici autem tantum illi, qui à Prælato universali & ejus Ecclesia Catholica recedunt; *d. c. inter hæresim.* Ecclesiam Dei & corpus ejus lacerantes. *ut dicitur in c. de Liguribus. 23. qu. 5. c. advocavit. c. ubi. 24. qu. 1.*

Unde hi sine justitia, caritate & mercede sunt; *c. ubi sana fides. 24. qu. 1.* Spiritum Sanctum, *c. loquuntur. 24. qu. 1.* & omnem potestatem in rebus Ecclesiasticis amittunt; quia foris sunt extra Ecclesiam. *c. 31. didicimus. 24. qu. 1. c. 1. hic. c. alienationes. 12. qu. 2.*

Proinde ordinationes, beneficiorum collationes, rerum Ecclesiasticarum alienationes, per illos factæ, sunt irritæ; *c. 1. hic. c. ordinationes. 9. qu. 1.* ab iis ordinati ab officio repelluntur; nisi cum iis dispensaverit is, qui dispensandi potestatem habet. *c. 2. hic.*

Eam habet tantum summus Pontifex, si scienter à schismatico sunt ordinati: si ignoranter; quilibet discretus Prælatus. *c. 1. & 2. de ordin. ab Episc. qui res ign. Episc. d. c. ordinationes. 9. qu. 1. fac. c. 1. si quis à simoniacis. 1. qu. 1.*
Præ-

Præterea schismatici excommunicantur & damnantur; *c. de Liguribus. 23. qu. 5.* gradu & dignitate Ecclesiasticâ, si habent, dejiciuntur; *c. 40. subdiaconus quondam. & c. qui contra. 24. qu. 1.* si sunt Laici, & nobiles, aut Principes, nobilitate privantur, Principibus secularibus, corporaliter puniendi, traduntur. *d. c. qui contra. & d. c. de Liguribus. & c. denique. 7. qu. 1. c. non vos. 2. qu. 1.*

Quibus pœnis, & schismaticorum defensores & fautores puniuntur. *c. didicimus. 24. qu. 1.*

De Apostatis.

TIT. IX.

Apostata sunt, qui à statu fidei, obedientiæ, vel religionis, quam se tenere professi sunt, temerariè recedunt.

Apostasiæ enim tres sunt species; *perfidia, inobedientia, irregularitatis. c. 1. ubi Gloss. hic.*

Perfidia Apostasia est; cum qui Christianam religionem ejusque verum cultum deserunt, *c. non potest. 2. qu. 7.* & ad Judaicos aliosve detestabiles ritus deflectunt.

Hi eisdem pœnis, quibus hæretici, plectuntur. *c. 1. hic. d. c. non potest. c. infames. 6. qu. 1. c. celebritatem. dist. 4.*

Apostasia inobedientia est; cum qui præcepta superioris transgrediuntur; vel sacris statutis & canonibus non obediunt; *c. alieni. 3. qu. 4. c. si quis. de major. & obed. quibus tamen obediendum credunt. c. nulli. dist. 10.*

Hi fiunt infames, accusare, vel testimonium dicere prohibentur, excommunicantur, deponuntur, & quandoque degradati Judici seculari traduntur. *c. si quis à suo. 3. qu. 4. c. si autem vobis. 10. q. 3.*

Irregularitatis Apostasia est; cum qui ab ordine assumptæ religionis recedunt. *c. fin. hic. c. ex parte. de temp. ord. c. fin. dist. 50. c. quantum. dist. 47. c. beatus. 3. qu. 4.*

Hi, apostasiâ durante, ipso jure fiunt infames; ab accusatione & testimonio repelluntur; *c. alieni. 2. qu. 7. c. beatus. 3. qu. 4.* à dignitatibus removentur; *c. legi. 16. qu. 1.*